

EXERCITIUM ACADEMICUM,

De

SACRIS FON-  
T I U M ,

*Quod*

Permissu Amphiss: COLLEGH PHILOS.

in Illustri & Regio Lycéo  
Aboënsi,

*Sub Moderamine*

PræClarissimi Viri

DN. TORST. RUDEEN,

Poës. Profess. Ord. h. t. Facult.

Phil. Decani spectabilis,

Publico bonorum examini modeste  
submittit

S. R. M. Alumnus

JONAS CÄRLEHAMN  
Wermi.

In Aud. Max. ad d. V. Junii, 1697.

---

Impr. apud JO. WALLIUM.

Maxime Reverendo ac Excellentissimo Domino,

**DN. JOHANNI  
FLACHSENIO,**

S.S. Theologiæ DOCTORI  
& PROFESSORI Prim. longe  
Celeberrimo, utriusq; Consisto-  
rii AD SESSORI Gravissimo,  
PASTORI Ecclesiæ ad Divam  
Mariam fidissimo , Mecœnati,  
Patrono ac Promotori beni-  
gnissimo & liberalissimo, sum-  
ma animi reverentia perpe-  
tuo honorando.

**S**ecreta me estimatione pensitantem,  
cui potissimum Exercitium bocce A-  
cademicum irem oblatum, subit  
mihi extemplo singularis REVER-  
DIGNITATIS Tuæ, quo me es amplexus, favor  
quem ipsem et toto hoc triennio expertus sum,  
dum filiorum tuorum optimorum insigni-  
terque literis incumbentium curam egeram &  
munus informandi obiveram. Ut eo testa-  
tior esset beneficiorum AMPL: DIG: Tuæ  
memoria hoc argumentum gratitudinis re-  
linquendum Judicavi quamvis vero meritis  
pares grates nec agere nec babere possim,  
tamen cum prona potius voluntas, quam ef-  
fectus respici soleat, volui harum pagella-  
rum dedicatione, ostendere debitam pietatem  
& promptissimum animi obsequiost affectum,  
non tamen ea opinione ut benignitatis tuae  
in me merita sic compensare existimem,  
sed ut aliquod indicium gratitudinis relin-  
quam. Ex intimo meo corde suplex oro, ut  
vile hoc munus chartaceum Tuæ Rev: DIG:

vultu gratioſo menteque ſerena aſpicere ac  
ſuo clementi Patrocinio & favore me clien-  
tulum ſuum ſubiectiſſimum, ut bactenus,  
ita & in poſterum tueri dignetur. Poſco i-  
gitur supremum numen calidis votis velit  
te Rev: PATER una cum honestiſſima fa-  
milia ab omni incomodo conſervare, vi-  
geas  
vivasque diu atque feliciter in ſeros usque  
annoſ! ſic dobet.

ADM. REVER. TUÆ DIGNITATIS,

Humiliimus atque obſervantissimus  
clientulus

J. Carl Hamn.



## THESIS I.

 **A**udemus impense totoq; ex animo nobis gratulamur & Patriæ nostræ charissimæ, quod dispulsis tristibus gentilismi, & deinceps papismi tenebris, splendidissimum Evangelicæ lucis jubar liceat aspicere atque usurpare, ab omni foco liberatum: per translennas quasi nunc videntes, quam sit misera gentilium fors, qui in sua cæcitate aut olim oberrarunt aut etiamnum errant, & ne nullum DEUM colant, omnia pro numinibus apprehendunt: viderunt nimis rationis suæ lumine omnino DEUM aliquem esse, eumque esse unum, non minus nobis perviderunt sapientiores,

A

sed

2

sed suis illum ministris esse stipatum,  
qui tanquam illius legati mandata munia  
obirent; unde est quod Poëtæ (forte  
per obscuram aliquam traditionem ex  
sacris literis edocti) certos ministran-  
tium Deorum ordines constituerint, ut  
eorum aliqui cœlo residerent, alii terræ  
essent incolæ & marium, & aliis deniq;  
inferorum habitatio cederet. Ex me-  
dioxumis illis quibus terra habitanda  
tributa est, fuere Nymphæ & numina  
quæ fontibus præesse credebantur, qui-  
bus sua quoque sacra non facere nefas  
putavere: de quibus fontibus & sacriss,  
nunc animus est paucissima quædam  
adferre: paucissima autem propterea,  
qvod nec patiatur brevitas, quam se-  
stamur, nec curta mea supellex, ut  
sim prolixior, aut nobile hoc argumen-  
tum pro dignitate tractem. Proinde  
tua, Benevole Lector, gratia supplebit,  
qvod minus potuit mea tenuitas præ-  
stare, cuius favoris me gratissimum  
semper debitorem habebis.

TH.

## THES. II.

De vocum significationibus tanto erimus minus solliciti, quanto cuique notius esse poterit, nos per fontes non intelligere aliud quam aquarum ē terra micantium jugem scaturiginem; per sacra autem, victimas & divinos cultus, qvi fontibus hisce præstabantur olim ob divinitatis suspicionem, quam illis adfingebat superstitiosa antiquitas.

## THES. III.

Causæ, quæ veteres Paganos ad fontium cultum permoverunt, possunt esse plures: una quidem, quod præsentiam numinis sentiri non sibi persuadebant, sine peculiari qvodam & facro horrore: ac vice versâ, ejusmodi sacram horrorem non sentiri, nisi Numen aliquod prælens fuerit. Horrore autem tali percelluntur homines haud parum in solitudinibus & lucis arborum altartim ac procerarum, in cujusmodi

A

locis

locis fontium origines sunt creberrimæ,  
qvorum fontium per terram meantes  
venæ, in causa sunt, cur in ejusmodi  
locis ad majorem proceritatem arbo-  
res excrescant, quam alibi: unde de Am-  
monis fonte loquens Curtius lib: 4.  
cap. 7. 22. nemus & fontem conne-  
ctit inquiens: *est etiam aliud Ammo-  
nis nemus, in medio babet fontem* Sc. &  
Cælius Rhodoginus. Lect. anti: lib. 27.  
cap. 5. coluntur aquarum fontes & sta-  
gna, quæ vel opacitas, vel immensa al-  
titudo sacravit. De aquis autem nun-  
quam non magnifice sentiebant vete-  
res, inter quos Hesiodus, qui aquam e-  
lementis omnibus antiquiorem statuit,  
& Thales Milesius qui omnia esse cre-  
debat ex aqua, cernebant enim insi-  
gnem ubique aquæ utilitatem; de Ju-  
sturna fonte valetudinis causa bibebant testa-  
tur Kepp. lib. 4. videbant etiam, quam  
multa sint animalia, quæ absque ignis  
degant usu, degere autem sine aqua nul-  
lum posse. Quidque si fuerit sine po-  
testate

testate humoris ex sanguinata exsuctaque redduntur, & hac causa Pindarum rectissime opinantur dixisse ἀεισού μὴ υδωρ id est *optima aqua*. Qvum autem aquarum infinitæ utilitates sint, aut Numen aliquod ipsis inesse aut easdem Numinibus eximie esse caras crediderunt, sibiique numina ista sic conciliari, si res ab illis amatas honorarent: hinc Seneca scribit: *magnorum fluminum capita veneramur.* Hinc Horatianum illud.

*Nunc ad aquæ lene caput sacræ.*

Sic in Ergis præcepit Hesiodus non esse fluvium perennem pedibus transeundum, nisi prius precibus ad DEUM effusis, id eo dici tradit Proclus quod opinarentur veteres omnem quidem aquarum naturam, ut quæ alendi, augumentandi que vim possideat, Sacram esse Diis, quos Ζωός vocant: præcipue vero perennes fontes putaverunt divinos, quia nescientes causam Jugis istorum scaturiginis (nimirum quod

aquæ fontium omnes e mari per subterraneos meandros descendant & per fluvios & amnes in mare iterum sese volvant atque exonerentur ) arbitrati sunt , non posse divinitate carere , qvidqvid illam ita imitaretur; nec reperiebant de visibilibus qvidqvam , ad divinitatis similitudinem proprius accedens , qvam fontium aqvas , ut loquitur Macrobius in somn: scip: lib. 2. cap. 5. fons , ait , ita principium est aquæ , ut qvum de se fluvios & lacus procreet , a nullo nasci ipse dicatur . Nam si ab alio nasceretur , non esset ipse principium &c: quin & amœnitas jucunditas que locorum fontanorum præ cæteris videbatur innuere atque indigitare Numinis alicujus amantis curam & præsentiam peculiarem ; neqve enim fortunam insigniorem uni præ alteris cui qvam obvenire nisi ex singulari favore ac providentia numinum etiam gentiles credebant . Hæ caufæ & similes plures facile gentem superstitionem & re-

Etæ viæ ignaram, ad ejusmodi exse-  
cranda fontium sacra permoverunt,  
qvibus etiam addemus conjecturam  
plurium non contemnendam peni-  
tus, qvod potuerit hæc veneratio a-  
qvarum gentibus commendata esse per  
longinquam traditionem miraculorum,  
qvæ in DEI populo facta sunt, ope  
hujus elementi. Quid, qvod fontes  
ipsa quoque oracula reddiderint cele-  
briora: In Jovis Dodmæi templo fons  
erat, qvi accensas faces immersas ex-  
stinxit, non ardentes admotas accen-  
dit, ut referunt Pomponius Mela: lib:  
2. Solinus, Plinius aliiqve & Lucre-  
tius lib: 6. 879 :

*Frigidus est etiam fons, supra quem sita sœpe  
Stupa jicit flamas concepto protinus igni:  
Tedaqz, consimili ratione accensa per undas  
Confucet quocunqz, natans impellitur auris, &c.*

Ad Jovis Ammonis oraculum fons  
erat miræ indolis, cuius aquæ inter-  
diu erant frigidæ potabiles ac suaves,

noctu vero æstu torrebant, unde idem  
Lucretius eodem libro verl. 848.

*Est apud Ammonis fanum fons luce diurna  
Frigidus, & calidus nocturno tempore fertur  
Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri  
Sole putent subter terras fervescere raptim  
Nox ubi terribilis terras caligine texit.*

utriusque mirabilis phenomeni Physi-  
cas causas explicare ibidem conatur  
Poëta, qvo curiosum lectorem remit-  
timus.

#### THES. IV.

Deorum gentilium tres fuissent or-  
dines præcipuos, Superorum scilicet In-  
ferorum atque Medioxumorum, ex-  
que tertio hoc ordine fuissent Nymphas,  
qvibus ut plurimum dicati sunt fontes in  
superioribus est dictum: nunc adjicie-  
mus in plures qvoqve classes nymphas  
fuissent discretas: aliæ enim erant Orea-  
des, quæ in montibus habitabant: Drya-  
des

des, quercuum & silvarum præsides;  
 Hamadryades, quæ una cum arbori-  
 bus naſci atque emori credebantur:  
 Nereides maris & pelagi Deæ erant:  
 Napeæ pascuis præerant & floribus;  
 Najades fluviis & fontibus, Limniades  
 stagnis & lacubus: qvin & in specie  
 fontium Nymphas Ephydriades appel-  
 laverunt antiqui. Mnesimachus Pha-  
 letes, referente Natali Comite, hanc fa-  
 cit illarum distinctionem, quod aliæ  
 sint cælestes, aliæ terrestres, aliæ fluvi-  
 ales, aliæ marinæ, aliæ stagnorum præ-  
 sides. Najades autem, quæ & Ephy-  
 driades dictæ, sunt quibus illa sacra fi-  
 ebant de qvibus in præsentia discursus  
 instituitur; nam ut in superioribus mo-  
 nuimus, ita antiqui religione teneban-  
 tur, ut nullum neqve publicum neque  
 privatum locum aliquo numine carere  
 arbitrarentur: quippe cum elementa  
 singula & herbas & radices & arbores  
 & arborum aut terræ fructus, suos ha-  
 bere Deos crediderint. Verba sunt Na-

talis Comitis lib. 5. cap. II. & capite se-  
quenti seqventia habet: *Profecto credide-  
runt antiqui, si quem fontem, vel utilem a-  
quam excavantes reperissent, illud esse Nym-  
pharum munus, pro qua aqua sacrificia of-  
ferre conservaverunt; ad quæ sacrificia an-  
tequam me compono, unicum anno-  
tasse libet, qvod habet de harum Nym-  
pharum ortu Orpheus, atque de ea-  
rum sobole Virgilius; prior in hymno  
ad Nymphas sic canit.*

Nύμφαι Δυνατέρες μεγαλήτορος οὐχεανοῖο  
Τύρωνόροις γαῖης ταῦτα κεύθεσν οίκοι ἔχοντες

hoc est:

*Nymphæ Magnamini oceani certissi-  
ma proles,  
Sub tellure domos colitis quæ humenzi-  
bus antris.*

Posterior Æneid. 8 appellat illas flu-  
viorum matres: ait enim:

*Nymphæ laurentes, Nymphæ genus amnibus  
unde est.*

Ex

Ex qvibus locis manifesta fit veterum  
 Philosophia de fontium causis, qvæ  
 cum nostra intimè convenit, qvi &  
 revelatione, & ratione cum experien-  
 tia conjunctâ, novimus fontium aquas,  
 per terræ cavernas è maris fundo ad  
 terræ superficiem elevari, interdum in  
 vaporibus, interdum per ductus aquales,  
 in qvorum nonnullis sal marinum de-  
 ponunt in nonnullis servant: hæ eadem  
 aquæ e maris fundo ad terræ super-  
 ficiem tendentes perpetuo & jugi flu-  
 xu, cum diu circa suos ortus neque-  
 ant hærere, per camporum declivia  
 labuntur, alveosque sibi formant, qvos  
 fluvios adpellamus: quod ipsum intel-  
 lexere Poetæ, qvum Nymphas ( qvæ  
 mutata unica litera sunt latinorum  
 lymphæ ) dixerunt oceani filias & fluvi-  
 orum matres.

### THES. V.

Seqvuntur sacra, qvæ fictis hisce  
 fontium numinibus fiebant vel ob com-  
 mis-

missum piaculum quæ victimæ animales dicebantur: vel consultandi gratia, quæ consultatoriæ: vel ut gratias agerent votorum compotes; vel ut nova beneficia obtinerentur, vel ut numina placarentur, vel denique honoris grâtia tantum, cœu sacrificiorum occasiones & causas memorat Natalis Comes lib. 1. cap. 17. offerebantur autem fontibus, lac, oleum, vinum, flores & hædus de prioribus Theocritus in viatoribus.

Στασῶ δὲ κρηπῆς μέχεν λευκοῖο γάλακτος  
Ταῖς ΝύμΦαις. σασῶ δὲ καὶ ἄδειας αἷλον ελαίω

Hoc est ut vertit Natalis:

At statuam lactis magnum cratera datoris  
Nympbis: mox aliis pinguis ponetur olivi.  
De capra idem Poeta testatur in eadem  
ecloga, ubi sequentes ipsi à Natali ad-  
scribuntur.

Τὸ κρόχυλον μειῶσκε τὸ πακίλον, ἀντ' εὐων.

Ταῖς ΝύμΦαις Ταν ἀίγα

Horatius oda 13. lib. 3. merum, flores  
&c

& hædum memorat, cuius sunt sequentes versus ad fontem Blandusia.

O fons Blandusiae splendidior vitro,  
 Dulci digne mero, non sine floribus  
 Cras donaberis hædo  
 Cui frons turgida cornibus  
 Primis, & venerem & prelia destinat  
 Frustra, nam gelidos inficiet tibi  
 Rubro Sangvine rivos  
 Lascivi Soboles gregis.

Ad quem locum observant commentatores, merum esse libatum, hoc est paululum vini in fontem effusum, deinde hædum esse maestatum, cuius sangvis collectus est patera in aquam fundebatur cum precibus; florum vero usus in his sacris triplex fuit; nam floribus & vina & victimæ coronabantur, & fontis aquæ spargebantur, nec desunt qui mel offerri solitum putarunt, quia floribus delectarentur Nymphæ, est qui bus

bus suum mei conficiunt apes, vel quia illæ Aristæum, quem educasse putantur mellis & olei conficiendi rationem docuerint.

## THES. V.

Viguit non modo, inter antiquissimos nostræ gentis autores idem fontium supersticiosus cultus, verum eo misericordiarum perductus est, ut etiam humanas victimas istis obtulerint: primo enim mense (ceu docet Atlanticæ autor) solenniorem venerationem Diis impendentes, novem dies sacrificiis rite ac religiose absolvendis, tribuerunt: singulis diebus, novem animantium genera immolabant: quibus etiam humanas hostias adjungebant; per summam totius regni celebritatem templum illud Upsaliense frequentissimo incolarum accessu visitabatur, ibique novendialibus feriis ex præscripto sacrificiorum numero, diis hostiæ ad aram maestabantur, homo quem fors immolandum ob-

tu-

tulerat in fontem Urdalsbrun, qui ad locum sacrificiorum scaturiebat, vivus immergebatur: qui si facile efflaret animam, faustum renunciabant sacerdotes votum, moxque inde ereptum inq vicino nernore ( quod sacrum crede bant ) suspensum inter deos translatum affirmabant, quo factum erat ut beatum se crederet, qui ea immolatione excederet e vita. Accidit non unquam reges ipsos eadem sorte delectos immolari, ut testatur Joh. Mag. Lib. 21.

Dum Sveci & Gotbi a fame pressi fuere, unicum remedium a templorum Pontificibus, qui Othino, Idolo upsalensi, ministrabant, contra presentissimam omnium terrarum septentrionalium ex fame ruinam, persuadebatur ut Regem Domaldum, Deae Cereris immolarent post eius fata frugum rerumque omnium abundantiam longe lateque successisse, Idem ibidem refert & ad stipulatur Excellentiss: Rudbech: in sua Atlan.

TH.

## THES. VII.

Unde autem Ethnici hauserint,  
cruenta sacrificia diis grata fuisse, satis  
mirari non possum; cum a ratione ab-  
horrere videatur creaturam sensu præ-  
ditam, & magno cum dolore morien-  
tem in honorem creatoris destruere,  
perinde ac si quis officinam artificis  
ingressus opera ipsius corrumpendo,  
honore se istum adficere prætenderet:  
uti loquitur nobilissimus Puffendorfius  
in tractatu, quem inscribit, de habitu  
religionis christianæ ad vitam civilem  
§. 8. nisi cum eodem nobilissimo Domino  
statuere velimus, hunc quoque ritum  
ad illos per longinquam traditionem  
promanasse ex populo DEI, quando-  
qvidem ab illo sacrificia cruenta sint  
instituta, suggestente ipso DEO in Sym-  
bolum expiandæ humani generis labis  
& medendorum inde provenientium  
malorum, per salvatorem nostrum  
JESUM CHRISTUM: cui sit laus ho-  
nor & gloria in secula nunquam  
determinanda.

In

DE SACRIS FONTIUM apud gentiles  
Dissertationem non invenustam.

Eximii Juvenis

DN. JONÆ CÆRÆHVMN  
Amici & popularis perdilecti.

E quæ Chame tuam raptæ dementia  
mentem;  
Et quid te Japeti postera turba moveat,  
Numine ut æterno relitto turpiter umbras,

Captes atque exlex numina falsa colas?  
Mente licet capias supremam existere causam,  
Sensibus & tangas cuncta referre DEUM.

Quid tamen effectis pro causa reddis hono-  
rem,

Pro Domino servo tura merumque facis?

Quid rebus servis tibi quas servire putas?

Quid cælum & terras in tua rosa vocas?  
Forse quod hæc videas tibi corpora grandia  
ferre

Commoda, queis nunquam rute carere potes.

Hæc igitur deceat divino nectare spargi

Nam divini instar numinis acta probant.

Hinc

Hinc supera, hinc media, hinc tibi & infera numina fngis,

Cum quibus indigetas semideosque sacras.  
Quin quoque Silvanos, faunos Salyrosque  
falaces,

Et varias Nymphas numen habere putas.  
Najadas in queis haud minimo dignaris  
bonore:

Sepius his pinguis dictima cesa fuit.  
Sepius his cecidit raurus nitideque bidenees.

Sepius ara capri rincta cruore fletie.  
Fædus ac patras gens in caligine mersa

Cum humana in flammis viscera sepe cre-  
maso.

Talia mi Earl Hamm dum priscis eruis um-  
bris,

Gnavaque in clara Palladis arce locas,  
Encharices adstant spondentes premia lata,  
Præmia, non ullo digna perire die.

Gum sincero multæ felicitatis  
voto in id, quod ad pa-  
erios Jares adornebit ite  
scribebat

J. EMZEEN.

**A** pud Æsopum auro sanè dignissima extat  
fabula de cicadis & formicis, in quibus  
longè diversa conspicitur industria, illæ  
cantando æstivi temporis amoenitatē transfigunt;  
hæ vero victimū comparando indefesso labore  
sese exercent. Hoc ut ut sicutum sit non tamen  
patum habet in recessu. Cicadæ enim illorum  
adolescentum sustent imaginem, qui in flore  
virenticis ævi, feriis vitam transfigunt & tantum  
non consumunt: formicæ autem eorum sunt  
exempla, qui annis vigentibus ubiores ho-  
noris & eruditionis congerunt fructus, ut hye-  
men, hoc est, ætate proiecta in bene constru-  
cto nido contra frigus, contra famem, con-  
traque corporis nuditatem se suosque defendere  
queant. Ex animo igitur, gratulor tibi Præ-  
stantissime Dn. Respondens; qui non aureum hoc  
vitæ tuæ ævum otii ac deliciis exigi, nec stu-  
dia tua de die in diem differri passus es: sed  
formicarum æmulus, ut docta hæc tua differ-  
tatio non obscure ostendit, tales tibi in hye-  
men providisti opes, quas nec incendium con-  
sumere, nec naufragium disperdere, nec de-  
nique ulla invidia elevare potest. Faxit divi-  
na clementia, ut & post hæc in simili studio-  
rum ac laborum ardore pergas, fausta ac inco-  
lumi semper utaris fortuna, & tandem æterna  
inter cœlestes persenticas gaudia; quod animo  
haud fucato  
vover

*ARVID. TAXELL, Wermel.*

Eidem:

Daram hanc occasionem tantum abest: ut  
omittere possim, ut potius tibi præ-  
stantissime Dn. præceptor ex animo gra-  
tuler, Studiorum tuorum profectus non  
pænitendos, quos hac egregia Disputatio-  
nis materia haud obscure prodere cona-  
ris. DEUM T. O' M. sinceris votis fari-  
go larga sua benedictione tuos honestos  
conatus coronare haud dignetur, ut  
tandem attingant optatam metam in no-  
minis Divini laudem Reipub: emolumen-  
tum & quorum interest insigne solatum.

sic vovet

HENRICUS FLACHSENIUS.

